



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pauli Segneri Societatis Jesu Brevis Vitæ Historia  
cum ejusdem Concordia Quietis & Laboris in Oratione,  
Expositione in Psalmum Miserere, Considerationibus de  
Inferno, Expositione Cantici ...**

**Massei, Giuseppe**

**AUGUSTÆ Vindel. & DILINGÆ, 1707**

**VD18 12383155**

cap. 6. Utrum voluntaria Facultatum in Oratione Incantatio honestari  
saltem possit modestissimo titulo, Professionis tacitæ, quâ nihilum  
nostrum coram Deo venerabundi agnoscamus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47773)

Caput VI.

*Utrum voluntaria facultatum in Oratione Incantatio honestari saltem possit modestissimo titulo, professionis tacita, quâ nihilum nostrum coram DEO venerabundi agnoscamus.*

I.

**N**Omen Superbiæ Animabus DEO caris tam formidabile est, ut solum illud abunde sufficere posset, ad pellendam procul voluntariam hanc ab omnibus actibus in Oratione cessationem, quam hæcenus impugnavimus, si vel suspicari possent, latere ibi monstrum tam retrum. O! quanto illis optatius est, excedere potiùs in sui abjectione, & dicere ad DEUM cum S. Petro: *Exi à Luc. 5. me, quia homo peccator sum, Domine;* quàm superbiæ periculo se exponere, petendo à DEO cum sponsa osculum vultûs, dum certæ sunt, tanto se meritorum intervallo infra Sponsam esse: *Longus saltus & arduus de pede ad os,* aiebat S. Bernardus. Eâque causâ bonæ istæ Animæ, cùm non credant satis sibi virium esse ad saltum tam arduum, summæ dignationis loco habent, posse hæcere ad pedes; maximè ex quo S. Terefia sine ullo verborum aut fuce, aut involucro, ipsas docuit, gratum valdè DEO esse; si Anima, cùm advertit divinam Majestatem suam id agere, ut ipsam ad sublimem Contemplationem evehat, magna animi demissione, tanquam indigna, pedem referat, ipsa illa, quæ paulò ante citavimus, S. Petri verba proferendo, quæ huic Sanctæ perquam familiaria fuerunt, & quæ ut prorsus mihi persuadeo, hodie quoque rectè à quocunque usurparentur.

Necessa-



Vitæ c. 22.

Necessarium proinde fuit animum Cervis istis timidis addere, quæ vel bonum Angelum insequentem fugiunt, cum radiorum suorum splendoribus illas terrefacit. Idcirco ipsis tanquam Veritas, quæ dubium nullum admittat, inculcatur: voluntariam hanc ab omnibus actibus cessationem, quam hic ego tam vehementer impugno, in Oratione, exercitationem esse humilitatis exquisitissimæ, & longè omnium, quæ exerceri possint, ad rem aptissima: cum hoc non sit aliud, quàm tacitè quidem, sed ratione perfectissimâ, nihilum nostrum coram DEO profiteri.

Ego hîc confestim ad DEUM versus lumen peto, quo manifestè detegam fraudem occultam: nunquam enim difficilius ad primum suum accessum Superbia agnoscitur, quàm quando Humilitatis larvâ velata adventat.

Et primò quidem ego in controversiam nulla ratione vocabo, quòd profiteri coram DEO nostrum nihilum, modo quo fieri possit perfectissimo, sit præparatio longè omnium optima ad recipienda dona tam sublimia, qualia sunt illa, quæ secum fert sancta Quietis oratio: quòd enim altius foditur fundamentum, tantò sublimius tam elegans assurgit ædificium.

Inprimis tamen metuo ego, ne ipsa ista cessatio superba sit, quando id eâ rectâ & unicè spectatur, ut in Quietè se Anima collocet: jam enim vidimus, quomodo Albertus Magnus edicat difertè; quòd verus Humilis nunquam credat, se ad eum statum pertigisse, ut ad tam excelsa ipse sese attollere debeat; sed, si multum, dicere tantum cum Psalmographo possit: *Quis dabit mihi pennas sicut columbe?* non debet velle, ipse sibi aptare alas, quibus evoler, nisi malit, Alas suas Icarî alis similes esse. Nec Albertus solus ita pronuntiat, sed ceteri omnes, qui suâ atate

Esal. 54.  
v. 7.

NON



nō agnoverunt ejusmodi statum, in cujus notitiam recens perventum est, Contemplationis Mysticæ habitualis: cū ipsa illa Mulier, sole undique amicta, cujus Apocalypsis meminit, perfecta altissimæ Contemplationis imago, non dicatur habuisse alas humeris suis affixas, sic ut arbitrio suo, quando collubitum esset, recipere sese posset ad quamcunque internæ solitudinis stationem, sed dicatur, quòd ad contemplandum in deserto DEUM, ubi tantummodo cessat omnis tumultus Imaginationum, ratiocinationum & affectuum, pedibus ipsa se suis contulerit: *Fugit in solitudinem, ubi habebat locum paratum à DEO.* Ut ramen tenderet in solitudinem, ubi non tantum tumultus istarum rerum cessat (ut acutè observavit Hugo Cardinalis) sed cessant etiam istæ ipsæ res, aut saltem dici possunt cessare, dum videri desinunt; eum in finem alæ ipsi datæ sunt. *In Hunc locum.* *Data sunt Mulieri duæ Alæ Aquilæ magnæ, ut volaret in desertum.*

Mihi igitur, quod quidem ad me attinet, superbus ipse viderer, si in solitudinem pedibus me meis recipere non curarem, sed ipse mihi affingere Alas vellem, quibus volarem in Desertum.

## II.

Sed demus, facere hoc posse quemlibet pro arbitrio: ego sanè quantum ad me spectat, videre non possum; quomodo perfectiùs profitear coram DEO meum Nihilum, illudque agnoscam nihil planè agendo, quàm si aliquid agam & operer, illud actu ipso profitendo. Hoc enim modo magis mihi videor ostendere DEO desiderium, quod habeo, talis professionis exercendæ. David Rex an non

L

sexcen-



Gal. 48.  
v. 6.

sexcenties coram DEO nihilum suum professus est? *Substantia mea tanquam nihilum ante te.* Et tamen non lego, quòd unquam id fecerit, facultates suas ab omni operatione suspendendo, & fugiendo omni conatu cunctas Imaginationes atque affectus. Invenio porius, quòd professus id sit junctim ob oculos sibi ponendo sensa illa, quæ magis erant idonea ad nihilum illud suum quocunque in genere quàm vivacissimè repræsentandum.

Luc. 18.  
v. 13.

Attendatur igitur, & intelligatur probè: in hoc enim, meâ opinione, rei cardo vertitur. Non elicit actum Humilitatis profundioris, qui magis cessat ab omni operatione propriâ. Id enim si ita esset, qui nihil faceret pro gloria DEI, neque cum Publicano ad Templum se conferret, neque staret à longè, nec demitteret oculos, nec ad modestiam se conformaret, nec percuteret pectus suum, neque quidquam eorum ageret, quæ ille egit, quando sic DEUM allocutus est, *DEUS propitius esto mihi peccatori:* perfectiùs profiteretur suum nihilum, quàm id fecerit ipse Publicanus, qui cuncta ista faciendo è Templo reversus est, tantopere, ob animi demissionem, à Christo JESU commendatus. Humilitas in duobus consistit. Primum est; facere pro DEO quidquid uspiam possumus, quod non transcendat ordinem Gratix, quam nobis prudenter promittere possumus. Alterum, ut sub ipsum illud tempus meminerimus, agnoscamus, & fateamur, quòd quidquid demum facimus, nos faciamus totum virtute adjutorij divini, quod DEUS nobis dat, ut faciamus. Ita me docet Apostolus: *Fiduciam habemus per Christum ad DEUM;* non quasi sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex DEO est. Non dixit Apostolus, *non quasi sufficientes simus cogitare aliquid à nobis:* hoc enim

2. Cor. 4.  
v. 7.

enim



enim non esset se abjicere, sed mentiri: dixit, à nobis, quasi ex nobis. Proprij enim nihili professio fit, tribuendo DEO laudem ex omnibus, sed planè ex animo. *Omnis sufficientia nostra ex DEO est.* Quomodo igitur amplius, & perfectius profitetur suum nihilum, qui ad hoc profitemdum facultatibus suis penitus nihil agit, quàm qui iisdem aliquid agit? Perfectius profitetur, qui magis ex animo. Ceterùm efficere aliquid, aut non efficere in ejusmodi professione, res est penitus indifferens ad bene profitemdum. Dico potius, quòd quisquis nihil agit, cum illum DEUS in statu suo naturali relinquit, præfidenter se gerat; cum, quod supra monebamus, prætentat elevare se non elevatus. Vera animi demissio consistit in agendo, quidquid vires nostræ permittunt; & non in voluntaria cessatione ab omnibus prorsus actionibus, donec DEUS omni nos labore liberet, quem ceteroquin actiones illæ annexum habent.

*Vacate & videte, quoniam ego sum DEUS:* ait Dominus. *Psal. 45. v. 11.* Quid autem ita loquendo innuit? an ut vacemus ab omni exercitatione nostrarum facultatum, etsi agere aliquid possemus? Nequaquam: id enim si ita esset, dixisset tantum: *Vacate, & ego ostendam vobis, quoniam ego sum DEUS:* Dixit autem, *Vacate & Videte:* & idcirco vult, ut ipsi nos etiam aliquid agamus. Hic verborum istorum sensus est: *Vacate, non tamen per pigritiam,* addit Hugo. Vult Dominus ut vacemus, ita est: sed à quo nos vult vacare? vult imprimis ut vacemus à vitiis: *Quiescite agere perversè.* *Psal. 14.* Deinde ut vacemus à sollicitudinibus, vacemus à strepitu & tumultibus, vacemus nonnunquam etiam ab illis curis, quæ ceteroquin non sine laude sunt; utque tempus deligamus, quo hoc agamus unicum, ut cognoscamus,



Bellar. in  
Psal. 48.


quoniam ipse est DEUS. *Vacate, & videte, quoniam ego sum DEUS.* DEUS, inquam, ut in se est, ut quidam explicant; aut DEUS homo factus, ut explicant alij, quos refert Bellarminus. *Vacate & videte, quoniam ego, qui Homo esse videor, sicut Homines ceteri, verè tamen sum DEUS.* Quænam igitur laudabilis ista ab omnibus actibus nostris cessatio est, quæ nobis in Oratione adhibenda suadetur, ad nihilum nostrum profitendum?

### III.

**V**erum ego necdum fodiendo ad fundum perveni ejusmodi professionis. Favente DEO tribus quatuorve fossionibus quàm citissimè fundum retegam. Ego enim, ut non minùs quàm alij, in Orationis hujus arte instituar; quæro: Quodnam est hoc nihilum, quòd me oportet coram DEO profiteri, quòd respondeat cessationi actuum, à quibus abstinco? Estne nihilum meæ voluntatis, aut nihilum meæ scientiæ, aut nihilum meæ potentiæ? aliud enim nullum est nihilum, quòd illi respondeat. Si nihilum mei velle; quæ, per DEUM, ista est ridicula professio? Profiteri coram DEO, quòd nolim elicere illos actus, aut Imaginationis, aut Ratiocinationis, aut Amoris erga illum, quos possem elicere modico illo temporis spatio, quòd consecro Orationi? Si nihilum mei intelligere, neque hoc ad rem facit; vult enim tantùm DEUS ut intelligam meliore modo, quo possum, quantumcunque hoc modicum sit, cùm à nobis ille non exigit, ut omnes simus Angeli in ejus obsequiis, sed ut in hoc negotio Angeli se gerant ut Angeli, plantæ ut plantæ, lapides ut lapides, bestiæ ut bestiæ, sicut Sanctus Rex David nobis observandum proposuit,



suit, dura res contitas omnino omnes invitavit ad laudandum DEUM. Si nihilum mei posse, ego hinc profiteor, quòd haud minùs ab ejusmodi professione cavere velim, quàm ab ipso Inferno: hæc enim professio injusta est, iniqua, Diabolica, dum profiteor deesse mihi Gratiam sufficientem ad exercendos illos actus secundum modum mearum facultatum naturalium. Hæc autem Gratia deesse mihi non potest, siquidem uti illâ velim. Habeat ergo sibi hanc sui nihili professionem, quisquis illam vult, ego illam nec flocci facio. Profitebor ego potiùs coram DEO, quòd possim aliquid efficere amore Ipsius, adjuvante illâ gratiâ, quam Ipse mihi largitur, illos ipsos actus verè producendo; quàm ut profitear mendacissimè, me non posse facere, quòd tamen possum facere. Illa est sui nihili professio, quam exemplo docuit Apostolus cum dixit: *Non ego, sed gratia DEI mecum.* Huic porro professioni non respondet cessatio ab illis actibus, quos salubriter elicere possumus ad honorem DEI; respondet autem cognitio, & confessio, quòd illos possumus producere ope Gratia nobis collatæ, sic ut si quid boni est in illis operationibus, laus inde omnis in DEUM resultet: si multum illis inest mali, nobis omne vituperium debeat. De reliquo ejusmodi cessatione profiteri, nos illos actus producere nolle, est, ut dixi, stultum; profiteri, quòd non sciamus eos facere, est insufficientis; profiteri quòd non possumus facere, est factegum. Estne igitur hoc veri Humilis officium, ut se deprimat, DEUM accusare? O inaudita Perfectionis præcepta!





## IV.

**E**GO hinc testem invoco DEUM, qui me iudicaturus est, me ad hoc argumentum tractandum calamum non alio fine arripuisse, quam ipsius unius gloriæ promovendæ. Nimis quàm altè fixum animo meo hæret illud dogma; quòd nihil sciat, quisquis nescit hac in vita placere

*Sap. 6. v. 9. DEO. Et si quis erit consummatus inter filios hominum, si ab illo abfuerit Sapientia tua Domine, in nihilum computabitur.*

Ecquid tandem prodesset mihi Platonem æquare sublimitate sermonis, Tullium eloquentiâ, Tacitum argutiâ, Aristotelem ingenij vastitate, & non potius esse Talpam, qualis sum, si subinde illo exciderem sine, ad quem consequendum è nihilo me extraxit DEUS? aliud proinde quod hac in vita quæram, non est, nisi ut à me quoque tantillum gloriæ redundet in DEUM, sicut à tam multis aliis redundat, qui modis aptioribus sciunt ejus honorem promovere. Potuissem (ut ad propositum redeam) hac ex quaestione de Oratione expedire me paucis lineolis. Sed prospicio damnum innumerabilium Animarum bonarum, quæ, dum tam serio & toties inculcari sibi audiunt, perfectionem Orationis consistere in cessando tunc temporis ab omni facultatum nostrarum operatione, existimant, hoc facto, si, ut facile sibi persuadere possunt, piæ sunt, si humiles, si obedientes, si mortificatæ, nullo subinde negotio se ad tertium usque cælum mox attollendas. Et hæc est falsitas manifesta; neque enim Contemplatio Mystica unquam à re tali dependet. Unde profectò tenere calamum non potui, quo minùs ille magno animo retereret errorem, etsi certò sciret talem conarum & tale studium

carò



carò sibi constitutum; sic ut non tantum proscindatur, & laceretur, sed vel in cineres redigatur.

Veneror enimvero illos, qui donum tam excellens; acceperunt, quale est Contemplationis: & si quo casu mihi permitteretur, excalcearem me cum Moyse quamprimum, ut ego misellus nudis pedibus currem non ad calcandam, sed humili osculo libandam illam terram, in qua stant tam ardentes rubi divini Amoris. Pronuntio tamen, illorum Contemplationem nequaquam esse ejus generis, qualem hodie docent certi libri. Hæc enim Contemplatio supposititia est, spuria, affectata: & quâ de causâ? Hæc siquidem in eo reponitur, si res accuratè discutitur, ut Orationis initio eliciatur actus Fidei, quo homo credat, se præsentem intra se habere DEUM, caveaturque deinceps diligenter, ne quid porro animus operetur, nisi ut illum suum actum non retractet. Contemplationis hoc genus jam aliàs in Mundo conspectum, sed mox eliminatum est, tanquam indignum nomine tam præcellenti. Sufficiet legisse in Anno Chronicis S. Francisci id quod de ea pronuntiavit Frater 1312. p. 27 Hugo, homo egregiè doctus, rerum animæ peritus, & 1. 7. c. 25. non minùs altissimæ Contemplationis dono inclytus, quàm & 26. vitæ asperrimæ longo tenore cognitus, ut qui ipsos quadraginta annos interulam supra carnes gestarit ferreis ansulis contextam, à qua dein Hugonis loricati nomen traxit. Hic ob profundam illam, quam habebat rerum cælestium cognitionem, rogatus ut suam de ejusmodi Oratione sententiam proferre non gravaretur, eam citra ambages quadruplici ex capite improbavit: primò quòd esset, ut aiebat irrationalis; secundo quòd impediret perfectionem; tertio, quòd duceret in perditionem; ac denique quarto quòd in usum ac praxim redigi nullo modo posset. Irrationalem

1312. p. 27  
1. 7. c. 25.  
& 26.  
1312. p. 27  
1. 7. c. 25.  
& 26.



nalem dixit, eò quòd inter cetera locum nullum relinqueret ulli bonæ cogitationi, quam industria suggereret. Impeditivam verò perfectionis, eò quòd avertat nos à studio promerendi DEI dona operibus convenientibus. In perditionem autem nos ab illa impelli dixit, quia perniciofa otiositate obnoxios reddit illusionibus Diabolicis: in praxi denique impossibilem, propterea quòd absque summo nisu animus in tali statu contineri nequiret. Et hæc Subinde Oratio tam damnabilis pulchro illo prætextu palliatur, quòd ea nihilum nostrum profiteamur! *O quanto satius est*, ajebat Frater Hugo lumine haud paulò sinceriore, *cogitare de profunda Humilitate Filij DEI, aut aliis rebus piis, qua adjuvant animam, eamque in DEO Domino nostro inflammant, quàm cogitare de non cogitando quidquam!* sicut facere oportet illum, qui post actum Fidei elicitedum aliud jam agit & curat nihil, quàm ut mentem avertat ab omni specie seu imaginaria, seu intelligibili, quæ ipsi posset occurrere.

Et quem tandem in finem datæ nobis à DEO sunt facultates tam nobiles, quàm ut illis suaviter in obsequium suum utamur, modo naturæ nostræ respondente, donec ipse nos attollat ad operandum modo, qui supra naturam naturam est? Qui facultate imaginatrice uti non potest, utatur Intellectu: qui hoc uti non potest, utatur illa. Qui neutro uti valet, suaves illos affectus adhibeat, qui magis illum accendere apti sunt. Neque unquam dicatur, quòd vera Orationis Quies consistat in procurata motuum ejusmodi cessatione, cum S. Thomas divino suo magisterio mendaces ostendat, qui id asserunt, dum docet, motus ejusmodi pertinere ad constituendam Quietem, non autem cum illa pugnare. *Motus corporales exteriores opponuntur*

1.2. q. 180  
art. 6. ad 1.

molan

tar



zur quieti Contemplationis, quæ intelligitur esse ab exterioribus occupationibus: sed motus intelligibilium operationum ad ipsam quietem Contemplationis pertinent. Quid igitur juvat excogitare vocabula inania nuditatis voluntariæ à nostris actibus, avulsionis, expropriationis, spoliationis, aut exinanitionis tam profundæ, ut reddat mentem nostram non inanem modò & exhaustam penitus coram DEO, sed etiam annihilatam? Vocabula sunt ista, quorum pleraque opus habent literis commeatus publici, si libero ubique transitu gaudere volunt; neque hic ipsis passim in lingua omnium conceditur, sed tantùm in lingua Amoris: & cuius Amoris? Amoris illius tam agitati, tam ardentis ut Ecstasticus dictus sit.

## V.

Audiamus tamen, quàm arguta Similitudine nescio quis exprimere conetur discrimen, quod inter Meditantem ut Contemplantem intercedat; inter illum inquam, qui tribus facultatibus animi in Oratione utitur, & inter illum, qui iisdem non utitur. Qui meditatur, inquit, perinde facit ac illi ad Domum Lauretanam Peregrini, qui quam secum gestant peram, omnibus necessariis refertam habent, ne quid in itinere incommodi subire cogantur. Qui contemplatur, illis aliis Peregrinis non absimilis est, qui eodem tendunt re nulla instructi. Atque ita Paupertas ista, soli divinæ Providentiæ in Oratione relicta, multò præstantior est, quàm illa de necessariis honesta cura, quæ dstringitur, qui vacat Meditationi.

Si hac similitudine joci gratiâ hic Author uteretur, jocum joco reponerem, & dicerem: multos esse, qui Lau-

M

retum



retum abeant alienâ quadrâ & benignitate victuri, qui tamen rectiùs facerent, si eo viverent, quod in pera circumferunt, quàm quòd nunc ab hoc, nunc ab illo emendicent, quo non indigent, ut reculis suis parcant. Petere sine reprehensione, generatim illis tantùm conceditur, qui nihil habent; non autem illis, qui suo uti nolunt. Sed loquamur seriò.

Si cui in Oratione ita ligatæ sunt & vincatæ facultates omnes, ut illis suo spiritui adjumenti nihil præstare valeat, nihil opis, nihil alimenti, pendeat sanè iste à divinâ Providentiâ quantum vult; faciet enim rectissimè, ac sanctissimè: quamdiu tamen infelix juvare se ipsum potest, juvet; & multo ille faciet meliùs se ipsum adjuvando, quam non adjuvando. Ita censuit S. Thomas. *Expectare à DEO subsidium, in quibus se potest aliquis per propriam actionem juvare, prætermissa propria actione, est insipientis, ac DEUM irritantis. Hoc enim ad divinam Bonitatem pertinet, ut rebus provideat, non immediatè omnia faciendo, sed alia movendo ad proprias actiones. Non est igitur expectandum à DEO ut omni actione propria, quâ sibi quis potest subvenire, prætermisâ DEUS ei subveniat. Hoc enim divinæ ordinationi repugnat & Bonitati.* O doArinam præclaram quæ evertat funditus spontaneam hanc ab actibus in oratione cessationem, eo susceptam prætextu, ut per eam homo instar mendicabuli ab eo uno ac solo pendeat, quod divina ipsi Providentiâ, ut cibum continuum, subministret! O demissionem cum divina pugnante voluntate! & huic fit qui studeat? Ego equidem pro me illam nolo: hoc enim est expectare, dum DEUS nobis prospiciat, quando modum nobis relinquit, quo ipsi nobis provideamus. Si in oratione indigemus virtute, destituimur vigore, alimoniam, petamus

L. 4. cont.  
Gentes  
c. 145.



peramus saltem fidenter, sed non adstemus otiosi animo, tanquam expectantes quidem stipem à DEO, sed non mendicaram. De S. Francisco affirmavit S. Bonaventura, satius illum duxisse, victum suum ostiatim rogare, quàm expectare, dum domum illi magna humanitate submitteretur. *Propter sanctæ paupertatis amorem, omnipotentis DEI famulus ostiatim quæstis utebatur libentius, quàm sponte oblati.* L. 1. vitæ c. 7.

Quod si subinde salvâ perfectionis integritate potest non peti ab homine id, quo indigemus, semper tamen cum perfectione pugnat, illud à DEO non petere. Hinc Christus, qui nos docuit facere id, quod perfectum est, nunquam nos docuit, ut panem nostrum quotidianum à DEO petere prætermittamus, sive corporis ille sit, sive animi: sed docuit nos illum nullo non die petere. Sic orabitis. *Pater noster, qui es in caelis &c. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* In quonam ego igitur officium non facio, absoluti suis numeris Peregrini, aut mendici in oratione, si prius ad me pascendum, utor iis cogitationibus, quas habeo, iis considerationibus, quas habeo, iis affectibus, quos habeo: Subinde autem, cum his destituor, ad DEUM confugio, & eleemosynæ nomine, actibus tamen meis, peto lumen, peto opem, peto adjutorium, peto amorem, peto omne illud, quo mihi opus est ad vivendum ex virtute? Quisquis pronuntiaverit, rectius facturum, qui oppositum fecerit, attendat probè quid dicat.

Scio, quid respondere mihi non nemo possit. Satis nimirum censeo illum petere, qui adstat coram DEO, tanquam mendicus, lacer, luridus, squalidus, qui ut dicatur à divite petere, necesse non habet loqui semper, ro-

M 2

gare,



gare, pulsare: satis is petit, si sistere se in ejus oculis novit habitu & gestu petentis.

Ego tam pulchram orationem omninò utilissimam censeo: non tamen perinde facilem illam existimo, quàm illam alius putat.

Ut rectè fiat, omninò oportet se habere instar mendici, non theatralis, non simulantis egestatem, sed veri & sinceri, qui tam sentiat suas misérias, suam egestatem, ut ab iis animum abducere non possit. Credimúsne, Mendicum illum, qui coram divite adstat, non habere intentas facultates suas ad opem expetendam? Lingua quidem tacet, sed obtutibus petit, petit gestibus, petit corde, quod desideriiis totum æstuat.

De Monte  
Cōtempl.  
c. 39. &  
lib. seq. de  
mendicit.  
spirit.  
c. 51.

Fiat hoc idem in oratione, & tum enimvero concedam lubens, hanc orandi normam, tantopere à pio Gersone Parisiensi laudatam, qui illâ uti noverat, normam esse bonam.

At hæc non est illa pulcherrima oratio quietis, quæ promittitur. Hæc est norma orandi, quâ quotidie utitur, quisquis meditatur: Nec solâ istâ utitur; utitur etiã illâ, quâ sistat se DEO nunc ut latro, nunc ut dira contagione affatus, nunc ut Bellua. Hoc tamen totum fieri potest utendo facultatibus Animæ quam intensissimè (quomodo iis usum invenio Gersonem, quando tam bellè Mendicum solerrem repræsentabat) & non solùm cum illæ inertis languore torpent, vix tenui halitu emortuæ propè Fidei, vitæ indicium præferentes. Prò quàm pauci illi sunt, qui horam orationis integram durare in sola illa sua Fide nòrint! Potest DEUS (quis hoc nescit?) supplere defectum omnem, eosque fortissimè sustentare: hoc tamen prætendi non potest tamdiu, quamdiu, ut dicebam, actibus



bus nostris consuetis juvare nos ipsos possumus. Hæc est vera animi demissio, hæc genuina Pietas, hæc genuina Prudentia, hæc genuina in omni negotio nos gerendi ratio: Uti mediis & auxiliis ordinariis, quæ DEUS subministrat: his subtractis, projicere se in brachia Providentiæ Fide viva: tum enim nullatenus destituemur auxiliis non solitis & extraordinariis.

Hinc quando dixit Christus apud S. Lucam: *Nolite solliciti esse anima vestra quid manducetis*: non reprehendit curam sibi prospiciendi, cui Author præfatus præponit fiduciam illius, qui ad orationem accedit sine omni cura, sine consilio, Viatoris instar expediti, qui statuit pro Laurentano itinere nihil secum ferre; reprehendit sollicitudinem. Sic docuit S. Hieronymus in illum locum. *Labor exercendus (quia in sudore vultus tui vesceris pane tuo) Sollicitudo tollenda.* Et tamen audiat idem author, audiat quomodo confestim S. Doctor limitet quod dixerat, & se ipsum explicet. Ait, hoc tantum accipiendum de cibo corporis; nam ut spiritui provideatur, non moderatâ tantum, sed sollicitâ planè curâ opus esse. *Hoc quod dicitur, de carnali cibo accipiamus. Ceterum de spiritualibus cibis semper debemus esse solliciti.* Quin S. Thomas procedit longius Angelico suo lumine, & ita pronuntiat. *Præcepit Dominus, nos non debere esse sollicitos, de eo, quod ad nos non pertinet, scilicet de eventibus nostrarum actionum; non autem prohibuit, nos sollicitos esse de eo, quod ad nos pertinet, scilicet de nostro opere.* Et idcirco Evangelico præcepto etiam ille obedit, qui sollicitus est, ut officio suo rectè fungatur; quin imò hoc summa laude dignum est. Præcepto huic ille non obedit, qui de eventu sollicitus est, qui, postquam suum officium quàm exactissimè fecit, est secutus. *Non*



igitur contra preceptum Domini agit, qui de iis, quæ ab ipso agenda sunt, sollicitudinem habet, sed ille, qui sollicitus est de iis, quæ possunt emergere etiamsi ipse proprias actiones exequatur. Hinc non dixit Christus: Nolite laborare: sed: Nolite solliciti esse: de quo? de eventu laboris. Si enim Pater cælestis nunquam desinit providere illis ipsis etiam liliis, quæ non laborant, ut suo in prato vestiantur; quanto minus prospicere omittet illi, qui in rem confert modicum illud, quod potest, & otio non indulget? Tandem: si Christus prohibuit sollicitudinem etiam in ipso opere, illam scilicet prohibuit anxiam, illam inquietam, illam nimiam. Et hæc, ut jam ex genere suo vitiosa est, ita in re nulla à quocquam laudatur.

## VI.

Quid, quòd studium pendendi penitus ex DEI Providentia etiam in oratione, nonneminem eò impulit, ut diceret, satius esse contemplanti, semper ad eam sine ulla præparatione accedere.

Tract. de amore Dei p. 1. l. 6. c. 2. Néque tamen hoc me valde angit: angit me, & displicet, quòd hoc documentum conetur fulcire autoritate S. Francisci Salesij, afferendo eam in rem aptissimam, quæ Sanctus usus est, Similitudinem statuæ regia in porticu erectæ, quæ, si iudicio prædita esset, quantumcunque opportunè, importunè in interrogata, & compulsæ, ut tandem edicat, quæ causâ tam contenta sit stare in suo illo loculamento, aliud non responderet, quàm ideò contentam se esse, quòd sciat, ita velle suum artificem, ut ibi stet quieta, quin aliud quidquam agat.

Ego ob addictissimam illam voluntatem, quæ S. Francisco



eisco Salesio devinctus sum, cujus divinorum operum lecti-  
 tatione soleo nonnunquam attollere & erigere animum  
 meum, pronum in terram, & incurvum, magis etiam quàm  
 fuerit mulier illa Evangelica, tam incurva; facere hinc non  
 possum, quin eundem purgem à calumnia, meo quidem  
 iudicio, manifestâ, quæ ipsi impingitur. Affert enim il-  
 le, non nego, dictam similitudinem statuæ; nequaquam  
 autem ad finem inducendi quemquam, ut accedat ad ora-  
 tionem sine præparatione, aut ut ibi hæreat nullam excitan-  
 do Considerationem, nullam cognitionem, nullum affe-  
 ctum, quoad DEUS nos non collocet in quiete. Imò  
 tam fuit ille procul ab hac sententia, ut quia æstate qua-  
 dam nescio quâ incuriâ bis accesserat ad orandum, quin  
 ante cogitaret; de quo puncto esset meditaturus, tanquam  
 culpæ admittæ se reum egerit, etsi utrâque illa vice mox se  
 DEO conjunctum expertus sit. Nec unquam mihi con-  
 tigit in eo legere, quòd cuiquam suaferit, ut aliter se in hoc  
 negotio gereret: sed ut ad summum hortaretur, ne quis  
 nimium anxius sit in præparando se singulari studio ad ora-  
 tionem, qui idcirco tali præparatione opus non haberet,  
 propterea quòd semper sit paratus; ut illis accidit, qui ha-  
 bent affectus in corde, ut in scaturigine, non ut in cisterna.

Part. 1.  
 Epist. 1. 1.  
 Epist. 21.

Ceterùm illa statuæ similitudo ab ipso in medium al-  
 lata est, ut exprimeret causam, propter quam, qui à DEO  
 positus in illo supremo gradu quietis, amittit in illa liber-  
 tatem utendi suis facultatibus sicut prius, persuadere sibi  
 non debet, quòd non perfectè oret, licet magna illa su-  
 spensione videatur sibi esse otiosus; cùm ibi hæreat adoran-  
 do divinam voluntatem.

Atque in hoc conveniunt omnes, ut notum est. Aliud  
 autem est, esse contentum, ut sit statua in oratione, post-  
 quam



quam homo talis effectus est trium internarum facultatum suspensione, quas sibi DEUS conjunxit: aliud est velle se ipsum efficere statuat, ut suum nihilum profiteatur nihil penitus agendo.

Deinde usus est Sanctus eâ similitudine etiam idcirco, ut explicaret plenam illam Voluntatis abnegationem, quæ in cunctis hominis actionibus tali gradui Quietis debet respondere: quæ est illa ipsa abnegatio, quâ tunc facultates in oratione utuntur, dum scilicet non acquiescit voluntas in suomet solatio, sed in eo, quòd fiat quod vult DEUS, non in eo, quod ipsa vult, sed in eo, quod ille jubet eâque causâ dicit Sanctus, quòd tunc etiam, dum cubitum quis concedit, existimat ut sit, se à sculptore suo ita in lectum abjici, ut intra muri concavum collocari solet statua, ut quietem ibi capiat, non tantum præsentem ipso, sed etiam ut exequatur ejus Providentiæ justa, & ejus beneplacito se conformet.

Ex his autem quid ad finem nostrum colligitur? an quòd etiam ad orationem accedere debeamus, tanquam si essemus statuæ? Statuæ conformitatis cum velle divino, libenter admitto: statuæ expertes imaginum, cognitionum, affectuum, audacter pernego. Sunt res duæ nimirum quantum in se discrepantes, statuæ instar cubitum concedere, & statuæ instar ad orandum se prosternere. Cubitum concedimus, ut dormiamus, & idcirco eò conferre nos possumus tanquam meræ statuæ conformitatis & Resignationis; ad locum Orationis accedimus ut oremus; & idcirco huc quidem accedere debemus ut statuæ resignationis, sed non ut mentis expertes. Hoc exemplo nos suo docuit S. Franciscus Salesius, quo non est alius melior interpres dictorum suorum; hoc etiam disertis ipse verbis tradidit.



didit. Sic enim, tanquam prælagus injuriæ, à dicto auctore quondam ipsi inferendæ, locutus est cum illa devotissima vidua de Cantal, quæ timebat hæere in oratione in perpetua Quiete, etsi hæc tam verâ frueretur.

*Conservare se in DEI presentia, & ponere se in DEI presentia, mea opinione dua res sunt. Ut se quis in illa ponat, necesse est avocare animum ab applicatione ad quodcunque aliud objectum, efficeréque, ut actu stet attentus ad istam presentiam, ut doceo in libro (loquitur de sua Introductione ad vitam devotam.) Postquam autem se in ea collocavit, semper in ea se conservat, dum aut intellectu, aut voluntate eliciuntur actus erga DEUM, aut considerando aliquid de illo; aut considerando aliud quidpiam amore ipsius, aut non considerando quidquam, sed hærendo simpliciter ibi, ubi nos ipse collocavit, ut statuam intra suum loculamentum. (Ecce non dicit ille, ubi nos ipsos collocamus, sed, ubi DEUS nos collocavit.) Et si ad simplicem istam stationem accederet quidam sensus, quod nos simus DEI, & quod DEUS sit summum nostrum bonum, oportet nos gratias agere sue divine Bonitati. Si statua aliqua collocata in suo loculamento &c. (Et hîc refert Sanctus totam illam similitudinem, quam legere est apud eundem in Tractatu de Amore DEI, & subinde concludit.) Hac, propitius sit mihi DEUS, ò filia, est bona Oratio, & bonus modus conservandi se in presentia DEI. (Non dicit ponendi sed conservandi) & faciendi ejus voluntatem. His in medium allatis indulgendo suo affectui ponit ob oculos, quid significet apud ipsum, & in ipsius idiomate, statuae instar effectum esse. O DEUS! quanto meo solatio loquor tecum de ejusmodi rebus! Quam sumus fortunati & felices, si volumus amare DEUM! amemus ergo ipsum, ò filia, & non nimis auxiliè consideremus, quid operemur ipsius causâ: cum certi simus, quod*

N

*nihil*

Epist. p. 1.

l. 1. Epist.

60.

P. I. C. I.



nihil unquam velimus operari, nihil propter ipsum. Ad me quod attinet, persuadeo mihi, nos stare in presentia DEI, etiam quando dormimus, quia in oculis ejus, quando vult, & quia vult, somnum capimus, & ille in lecto nos collocat, tanquam statuam in suo loculamento.

Jam igitur, an non est injuriam facere S. Francisco Salesio, dicere, quòd ille afferat similitudinem statuæ ad probandum, quòd liceat accedere ad Orationem sine preparatione, aut saltem, quòd in ipsa oporteat servare animum vacuum ab omni actu tam facultatis Imaginatricis, quàm Intellectus & Voluntatis, sicut omnibus his vacua Epist. p. 1. est statua quælibet? Oportet parte nostra parare nos ad Orationem pro modo nostra facultatis. Sic ille scripsit ad aliam personam DEO addictam. Et quando ipse nos altiùs evehit, soli ipsi sit gloria.

Claudamus igitur caput hoc, quo egimus de voluntaria cessatione ab actibus in oratione, & extra omnem controversiam ponamus, quòd, si subtilis superbia, que facillimè latet in tali cessatione, tegere se non potest velo Humilitatis, nostrum non sit procurare talem cessationem, nec quærere, sed totam curam oporteat relinquere DEO, qui si voluerit, bellissimè sciet nos attollere, quin ipsi nostro conatu assurgamus. Rebecca dum actu potabat Camelos Abrahami fessos & de via lutulentos, tot inter illustres puellas electa est in sponsam Isaaci.

Sed quia abunde egimus de ejusmodi cessatione ab omnibus facultatum nostrarum actibus generatim spectatis; æquum est, ad magis manifestandum, quàm arbitrarie sint leges ad eam persuadendam latæ, ut descendamus ad quamlibet speciatim facultatem, quæ uti prohibemur.

Caput VII.